



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Cap. I. De Injuriis, & damnis in bonis spiritualibus, & necessaria
restitutione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

PARS III.

*De Injuriis in particulari, & necessaria
restitutione.*

CAPUT PRIMUM.

*De Injuriis, & damnis in bonis spirituali-
bus, & necessaria restitutione.*

NOTA. Bona spiritualia alia sunt natura-
lia, ut potentia naturales, scientia, & ar-
tes, earumque usus; & alia supernaturalia,
quæ ad animæ sanctitatem, & salutem imme-
diatè ordinantur, ut sunt gratia, virtutes in-
fusa, earum actus, bona merita, Sacramen-
ta, &c.

Q. An qui injustè læsit alterum in bonis spiritua-
libus naturalibus tenetur ad restitutionem?

Resp. Qui veneno, potionem, vel alio modo
alium memoriâ, vel usu rationis, aut alterius
potentia naturalis privavit, aut maleficiis de-
mentavit, vel vi aut fraude pertraxit ad aliquid
sumendum, ex quo tale damnum secutum est,
peccavit graviter contra justitiam, & tenetur
ex justitia tollere, ac curare ista mala, si potest,
& refarcire omnia damna inde secuta. *Est
communis.* quia illorum causa fuit per injuriam,
violando jus, quod proximus habet ad bona
natu-

naturalia, quodque non minùs strictum est, quàm jus ad bona externa, quæ possidet.

Item qui alteri causa est injusta damni in scientia vel arte, sive quia vi, fraude, aliave viâ injustâ aliquos prohibuit ab acquisitione vel usu earum; sive quia cum ex officio, aut pacto teneretur alios docere, notabiliter fuit negligens in docendo, aut sine debita peritia munus docendi suscepit; sive quia culpabiliter falsa pro veris docuit, &c. Tenetur omnia damna inde ipsis, & aliis secuta resarcire, & revocare, quæ falsa docuit: nam qui actione, vel omissione injusta posuit causam damni, tenetur causam illam tollere, & damnum omne inde secutum resarcire; alioqui injuria non tolleretur.

Q. 2. *An qui alterum læsit in bonis supernaturalibus, tenetur ad aliquam restitutionem?*

Resp. I. Qui alterum vi, metu, vel fraude, vel alio modo injusto, induxit in peccatum, vel abduxit à bono opere, aut decepit falsâ doctrinâ contra fidem, vel bonos mores, tenetur ex justitiâ vim ac seductionem tollere, fraudem, & errorem aperire, remove causas ulterioris lapsûs, & curare, quantum fieri potest, ut alter restituatur in eum statum, de quo injustè eum dejecit, v. g. inducendo ad poenitentiam, orando Deum pro ejus conversione, &c. *Est communis.* quia est causa injusta talis damni: quilibet enim habet jus, ne

○ 2

inju-

injustè lædatur in bonis animæ, sicuti in bonis corporis. At talis injustè lædit; nam quisque habet jus, ne decipiatur in suis bonis, & ne vis ei inferatur sine justa auctoritate, quæ nequit esse ad peccatum, & errorem. Ergo tenetur causam damnorum, quam injustè posuit, tollere, & omnia damna jam ex ea secuta restituere. Hinc qui prava dogmata docuit, tenetur revocare, & quantum potest disseminatos errores ex animis evellerè, etiam cum damno vitæ.

Resp. II. Ex communi qui sine vi, metu, fraude, & deceptione alium in peccatum induxit, non tenetur ei ex justitia ad restitutionem, nisi sit Prælatus, vel alius, qui ex officio tenetur promovere bonum spirituale suorum: quia ubi non est vis, nec fraus, nec deceptio in inductione, nec culpa contra officium, injuria non est, quippe quæ scienti ac sponte volenti fieri nequit. Talis tamen tenetur ex charitate, plusquam alii, curare ut alter convertatur; nam charitas & æquitas exigat, ut is, qui malo suo exemplo vel consilio alium pervertit, curet præ cæteris, ut convertatur. Si quis tamen etiam solo consilio, vel precibus induxisset alterum in peccatum injustitiæ contra tertium, peccavit contra justitiam: nam inducens peccat contra virtutem, cui opponitur peccatum, ad quod inducit, & in defectum inducti tenetur ei tertio de damno, quilibet enim habet jus, ne quis positivè
coope-

cooperetur ad ejus damnum, sine ejus consensu, vel sine justa causa, & auctoritate.

Q. 3. *An qui avertit aliquem à Religione, tenetur ad aliquam restitutionem?*

Resp. I. Qui vi, metu, calumniâ, fraude, mendacio, aliôve modo injusto impedit, vel avertit aliquem à Religionis ingressu, aut professione, peccat graviter contra justitiam, & tenetur vim, ac fraudem tollere, & ei suadere ingressum, seu reditum, & Monasterio compensare, quanti valebat spes commodi temporalis, quod ex ipsius donatione, labore, ac industria expectabatur, si injustè abductus non fuisset. *Est communis.* quia utrique fecit injuriam damnosam; nam quisque habet jus strictum, ne viâ injustâ bonum eius impediat. Talis tamen seductor non tenetur ipse Religionem ingredi: tum quia fortè non est aptus; tum quia status Religionis, cùm sit status perfectionis, requirit Dei vocationem, & nullus ad illum, nisi spontè volens, admitti debet.

Resp. II. Ex communi, qui alterum sine vi, fraude, mendacio, aliâve viâ iniustâ, sed sine iusta causa avertit à Religionis ingressu, vel professione, non tenetur ad restitutionem; quia nemini fecit injuriam. Sed peccat contra charitatem, retrahendo eum sine iustâ causâ à maximo bono, & constat, ex *Trident. sess. 25. cap. 18.* ubi excommunicat. *Eos qui san-*

Etiam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impederint. nam tanta poena supponit culpam mortalem. Eadem autem est ratio, si iuuenis, vel vir abducatur à Religione. Nulla tamen erit culpa, si adsit causa iusta dissuadendi Religionem, ut si quis non sit aptus, vel si in illa Religione, seu Monasterio observantia Religiosa non vigeat, vel si parentes graviter egeant filii auxilio. Licet etiam parentibus, si prudenter dubitent de viribus, vel constantiâ suorum liberorum, illos ad tempus non longum retinere, & probare; graviter peccant, si eos exponant periculis peccandi, vel aliciant per se, aut alios ad voluptates, aliâve illicita, ut sic à proposito avocent.

Resp. III. Qui Religiosum, etsi sine vi, & dolo, sed solo consilio, vel precibus à Religione abduxit, tenetur ex iustitiâ compensare Monasterio damna temporalia inde secuta: quia fecit iniuriam Religioni; nam hæc habet ius retinendi suos subditos tanquam membra, & Religiosus per vota totum se tradidit Religioni in honorem Dei, & sic Religio habet ius ad commoda, quæ præstitisset, & quibus privatur per abductionem. Sic abducens servum à Domino tenetur ad restitutionem.